



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

De voluntate atque animi affectione: & quòd voluntatem in omnibus rebus
expendat Deus. cap. xxvi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

De voluntate atque animi affectione: & quòd voluntatem in omnibus rebus
expendet Deus. CAP. XXVI.

Rom. 8.



ILIGENTIBVS Deum omnia cooperatur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt sancti.

Mar. 12.

Sedens Iesus contra gazophylacium, aspiciebat quomodo turba iactaret as in gazophylacium: & multi diuites iactabant multa. Cum venisset autem vidua vna pauper, misit duo minuta, quod est quadrans. Et conuocans Discipulos suos, ait illis, Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium. Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miserunt: hæc vero de penuria sua omnia quæ habuit misit, totum victum suum.

Mat. 5.

Audistis quia dictum est antiquis, Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo.

Incerti.

Eos laudibus afficimus, qui animi inductione boni sunt, nõ qui necessitate quadam prohibiti, a malo abstinent. Vbi enim voluntas parata est, nihil est quod obstat. Ad sit animi alacritas: & nihil erit, quod impedimentum afferat.

Basil.

Apud iustum iudicem, pro eo quoque, quòd qui spiam vel duntaxat proposuerit ea, quæ cum officio coniuncta sint, non contemnenda præmia constituta sunt.

Theotimi.

Corporis actiones a multis interrumpi possunt. Qui autem animi inductione peccat, eodem momento, quo cogitauit, perfectum peccatum habet.

Naz.

Pulcherrimum atque humanissimum hoc est, quòd Deus, non muneris pretio ac dignitate, sed offerentis viribus, animique affectione, donum metitur.

Clement.

Non munus, sed voluntatem diuitem reputat Dominus, qui animam erudit.

Sexti.

Victima Deo est bona voluntas.

De virginitate & pudicitia, & honesto matrimonio.

CAP. XXVII.

Gen. 2.



IXIT Adam, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quam obrem relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna.

Iob. 31.

Si deceptum est cor meum super muliere: & si ad ostium amici mei insidiatus sum: scortum alterius sit vxor mea, & super illam incuruentur alij.

Pro. 5.

A Domino copulatur mulier viro. Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ: cerua charissima, & gratissimus hinnulus. Hubera eius inebrient te in omni tempore, in amore eius delectare iugiter.

Mal. 2.

Vxorem adolescentiæ tuæ ne derelinquas.

Sap. 3.

Felix est sterilis, & incoquinata, quæ nesciuit thorum in delicto: habebit fructum in respectione animarum sanctarum. O quam pulchra est casta generatio cum claritate! Immortalis enim est memoria illius, quoniam & apud Deum nota est, & apud homines. Cum præsens est, imitantur illam, & desiderant eam cum se eduxerit, & in perpetuum coronata triumphat incoquinatorum certaminum præmium vincens.

Mat. 19.

Accesserunt ad eum Pharisei, tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere vxorem suam quacunque ex causa? Qui respondens, ait eis, Non legitis, quia qui fecit ab initio, masculum & foeminam fecit eos? Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo: sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non

non